



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Florus Biblicus Seu Narrationes, Ex Veteri Testamento  
Selectæ**

**Pexenfelder, Michael**

**[S.l.], 1711**

LXV. Davidis in crimina prolapsio.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64523](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64523)

suo Molocho, regiam in formam efficto, Ammo-  
 nitæ publicis impensis imposuerant, aurò solido fab-  
 ricatam. Eam David cum cæteris spolijs avexit,  
 redegitque partim in diadema, suomet vertice ge-  
 standum; partim Divini *sacrarii*, *regiæq;* ornamen-  
 tis impendit. Urbs propter oppidanorum contu-  
 macem malitiam, inque contumeliæ Legatis illatæ  
 ultionem stirpitis destructa, & solo æquata; inco-  
 larum reliquiæ tam Rabbæ, quàm cæterarum ur-  
 bium carpentis ferratis, super eas agitatis, cœdè la-  
 ceratæ: cultris & ferris dissectæ, gladijs, securibus-  
 que truncatæ, ignibus fornacum lateritiarum cre-  
 matæ, crudeli utique supplicio, & pernicioso in-  
 genus humanum exemplo, nisi justam victoris i-  
 ram, impietatis & flagitiorum immanium odia sti-  
 mulassent. Non enim est alia vindictæ justior cau-  
 sa, quàm injuria Legatis illata, quos qui violat, jus  
 gentium violat.

NARRATIO LXV.

DAVIDIS IN CRIMINA PROLAPSIO.

2. Reg. 11. Anno Mundi 2998. Ante Christum 1055.

**A** Nimi curâ vacantis affectio, est libido. Et  
 juxta Diogenem, negotium otiosorum est  
 amor, ac cupiditas. Quotque scintillas ja-  
 culatur fornax accensa, tot mala desideria suscitât  
 mens otio æstuans. Post tot victorias illustres de  
 hostibus relatâs, cum David quadragesimum jam  
 & oct-

& octavum vitæ annum, regni verò decimum nonnum inoffenso pede decurreret; proh dolor! factum demum libidini turpiter succubuit; principium ipse ruentis in se Domûs, quam erexerat; ingens omnibus exemplum, nequis à casu tutum sibi quisquam spondeat. Miserabilis prolapsio ita contigit.

Expeditione, jussu Regis, adversus Ammonitas susceptâ, Duce militiæ supremo Ioabo, post devastatos hostium agros, pagos, oppida, vis ultima barbarorum urbi Rabbathæ (uti narravimus) erat admovenda, ut ejus expugnatione, hostilitatis, & mali radix omnis excinderetur. Inter primos in expeditionem cum prætorianis Davidis copijs iverat *Urias* (cognomentò *Hethæus* à loco natali *Heth*) miles & bello spectatissimus, (quippe *Triginta* Davidis *Fortibus* adnumeratus) & probitate morum insignis. Reliquerat hic domi *Betsabéam* conjugem, ceu minime necessariam castrorum appendicem. Fortè Rex David, qui & ipse Jerosolymis remanserat, die quodam æstuosiore, post epulas ac meridiem grabato se quietique mandârat. Soporis, quantum satis esset, perceptò; marcidum (ut fieri solet) à somno diurno corpus, agitatione reparaturus, in solarium domus regiæ se recepit; ambulandi pariter, & refrigerantis auræ captandæ causâ. Contigit, ut eodem tempore Betsabea, contra solis ardorem, corpus in horto domestico ablueret ad fœlientem fontanam, incautiùs aliquantum renudata, quàm egregiè castam decuisset; formæ mulier perinde elegantis, ut ætate florentis, & integræ; quippe vicenni non major. In quam Rex ut oculos conjecit, ut perijt. Insidiosum est nempe pul-

thritudo speculum, etiam procul aspicientes urit; dolosus arcus, simul icit, & jacit, blandum facit vulnus, sed lethale. Mittit protinus, qui nomen, genus, vitæ conditionem exquirat. Discit omnia singillatim: interque cætera; fortissimo suorum militum Uria collocatam esse, Rex, quem hîc imperare sibi convenerat, statim exardescere, hoc ferventiùs, quia *contra vetitum*. Arcessitur mulier in regiam, interpellaturque de corporis usura. Illa nihil obluctata, venit, committit scelus. Cujus infamia quò tegeretur, nam trimestri jam maritus abfuerat, evocatur è castris Urias; variâque per speciem de belli fortuna interrogatur. Inde domum remittitur ad uxorem conveniendam, cœnâ regiâ, & lautijs eum prosequentibus. Sed is, generosum militem non decere ratus, belli tempore ad conjugis blandimenta, & uxoriam consuetudinem divertere; maluit portæ regiæ custodibus se somnûmque suum, ea nocte, sociare. David intellecta spei suæ vanitate, accusare militem inhumanitatis, urgere, rediret ut domum, uxorem conviceret, necessariam quietem caperet; commeatûmque roganti, in lucem posteram polliceri. Detinetur interim ad cœnam *Urias*; aliquantò longiùs hilaritate (quam Rex sermonibus, ac poculis juvabat) protractam; oneratur vino supra sobriorum legem; denique temulentus domum se conferre jubetur. Verùm etiam tum Regis elusò machinamentò; titubans Urias, ac longioris progressûs impatiens, ante fores statim regias, lectulo se commisit. Rex ubi vidit, omnem humanitatis conatum frustra esse, consilium à crudelitate, capit; seribit

seribit Joabo litteras, *Rabbabam* tunc obsidenti, quibus mandat, *Urias* iniquissimo certaminis, acerrimoque loco, pro fronte, constituatur; præmonitis commilitonibus, ut pugnantem, & in extremo discrimine versantem, medios inter hostes destituant, ipseque circumventus, ea, quæ meruit, exsolvat. Perlectâ Joabus epistolâ, quod imperatum erat, exsequitur. *Urias* fortissimè dimicans deferitur; & cadit. Sunt, qui scribant, *Uriam* cum promptissimis quibusque propius ad muros subeuntem, repentinâ telorum procellâ, desuper missâ, unâ cum cæteris obrutum, oppressumque fuisse; adeoque *Davidem* haud simplicis reum cædis se fecisse. Nuntium interitus ejus, *David* ac *Mulier*, animis lætis, & verbis tamen per summam simulationem tristibus excipiunt. Illa funebrem insuper luctum induitur; quem mox tamen, amoris impatientiâ, qua Rex eam deperibat, in pepulum nuptiale vertit: eique jam *matrimonio* jungitur, cui prius *ulteriô*. Dos uxoris est, *uteri vitium* & *onus*: artha maritalis est, *cædes* prioris viri. Nascitur, octavo post nuptias mense, puer, partus alijs præmaturus, parentibus autem flagitij conscijs, præfestinatus. Amantes duo, quantum in conjugio, tantum in delicti sui contemptu pergunt, obliti Numinis, pudoris, famæ. Adeò non cæca tantum, sed surda, sed vecors est libido.



NAR